Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26140
Copyright: Admont, Benediktinerstift



tenuit. quia nec in mansuetudine districtionem iustitie. nec
rursum in districtione iustitie uirtutem mansuetudinis amisit. Vnde cum quidam deducta adultera hunc tentare uoluissent ut in culpam aut in mansuetudinis aut in iustitie libertatem. ad utraque respondit dicens. Qui sine peccato est. primus in illam lapidem mittat. Da simplicitatem mansuetudinis. qui sine peccato est. da zelum iustitie. primus in illam lapidem mittat. Vnde et ei per prophetam dicitur. intende. prospere. procede et regna. propter ueritatem et mansuetudinem et iustitiam. Veritatem quippe exsequens mansuetudinem cum iustitia conseruauit. ut nec zelum rectitudinis in mansuetudinis pondere amitteret. nec rursum pondus mansuetudinis zelo rectitudinis perturbaret. Sequitur. Timens dominum et recedens a malo. Scriptum de illo est. Et replebit eum spiritum timoris domini. In carnatus enim dominus in semetipso omne quod nobis inspirauit ostendit. ut quod precepto dicebat. exemplo suadebat. Iuxta humanitatis igitur naturam redemptor noster dominus uenit. quia ut superbum hominem redimeret. mentem pillo humilem sumpsit. cuius bene per hoc quod recedere a malo iob dicitur et actio designatur. Ipse quippe recessit a malo. non quod faciendo commisit. sed quod inuenendo reprehendit. Quia uetustam quam natus inuenit humane conuersationis uitam deseruit. et nouam quam secum detulit. sequentium moribus impressit. Natus quoque sunt ei septem filii et tres filie. Quid in septenario numero. nisi summa perfectionis accipitur. Sed enim humane rationis causas de septenario numero taceamus quae asserunt. quod iccirco perfectus sit. quia ex primo pari constat et primo impari. ex primo quidem diuidi potest. et primo quidem diuidi non potest. Certissime scimus quod septenarium numerum scriptura sacra pro perfectione ponere consueuit. Vnde et septimo die

xcm.